

ex contextu apertum est: et *Chrysostomus* præterea confirmat his verbis: *Duplex imperii genus. Alterum, cujus opera homines et populi et urbibus imperant, ac civilem hanc vitam moderantur, id quod Paulus indicabat, quum diceret: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Quod si autem potestati civili omnem animam subditam esse debere Apostolus docuit, quo tandem modo verum esse potest, clericos jure divino potestati regiae non esse subjectos? Joannes Chrysostomus (1), quum eum Apostoli locum expenderet, ostendit, ait, quod ista imperentur omnibus et Sacerdotibus et Monachis, non solum sæcularibus. Id quod statim in ipso initio declarat, quum dicit Omnis anima::: etiamsi Apostolus, etiamsi Evangelista, sive Propheta, sive quisquis tandem fuerit. Neque enim pietatem subvertit ista subjectio. Quam interpretationem Theodoretus, Theophilactus, Æcumenius suam fecerunt; et tamquam nulli obnoxiam dubio probat S. Bernardus in epistola ad Henricum Archiepiscopum Senonensem (2): *Intelligitis quæ dico, cui honorem, honorem. Omnis anima, inquit, potestatibus sublimioribus subdita sit. Si omnis, et vestra. Quis vos excipit ab universitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere. Habemus enim, verba sunt Gregorii Nazianzeni (3), inter ceteras nostræ doctrinæ leges hanc quoque cum primis laudandam, et à Spiritu::: preclare constitutam, qua ut servi heris suis, et uxores viris, et Ecclesia Christo, et discipuli magistris ac pastoribus dicto audientes esse atque obtemperare jubentur; ita nobis etiam præscribitur, ut sublimioribus potestatibus pareamus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut qui pendendo tributo simus obnoxii. Quare audacter dico, totam ecclesiasticam antiquitatem conspirare in eo, ut crederet doce-**

(1) *Homil. 23. in epist. ad Rom.*

(2) *Tract. de moribus et officio Episc. alias epist. 42. cap. 8.*

(3) *In orat. 17. ad cives Nazianzenos.*

retque, præceptis apostolicis de obedientia Regibus ac Magistratibus debita, Sacerdotes non minus ac laicos, Antistites perinde ac minores clericos in his, quæ salutem civitatis respiciunt, comprehendi. Cujus judicii auctorem præter alios habes *Gelasium P.* in epistola ad *Anastasio Imp.* ubi quantum, ait, ad ordinem publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites; et *Pelagium P. I.* Quum igitur (1) de pusillis ista forma præcepti sit, quanto nobis studio ac labore satagendum est, ut pro auferendo suspicionis scandalo obsequium confessionis nostræ Regibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse sanctæ Scripturæ præcipiunt? Itaque vim inferri manifestam sententiæ Apostoli existimo ab his, qui eam sic interpretantur, ut omnes quidem sublimioribus potestatibus parere debere concedant, sed ita, ut clerici solis ecclesiasticis, laici vero etiam sæcularibus subjiciantur (2): cujus interpretationis veterem nego quemquam auctorem exstitisse.

SCHOL. Conf. *Du-Pin cit. diss. cap. 3. §. ult.* His omnibus rite expensis, nescio an interpretatio Innocentii III. relata in cap. 6. de majorit. et obed. vel menti Apostoli, vel traditioni SS. Patrum satis consentanea haberi possit. Ceterum cui animus est legere quidquid absurdi in hoc argumento commenta est turba scholasticorum, is adeat *Plac. Bockhn in comm. ad Decr. lib. 2. tit. 3. §. 6.*

§. CII.

Quod eos perinde ac laicos obligat in conscientia.

Subtilior est recentiorum quorundam, sed æque Principum auctoritati inimica interpretatio, qua personas

(1) *Epist. ad Childebertum Regem, tom. 3. Conc. Hard. pag. 331.*

(2) *Berti de discipl. Theol. lib. 20. cap. 17. n. 11.*

ecclesiasticas statuunt legibus publicis teneri quidem in foro externo, non etiam in interno. Quod insulsum scholæ commentum quam sit etiam alienum à doctrina Apostoli, non propter iram tantum, verum etiam propter conscientiam nos Principibus subditos esse oportere præcipientis, præter alios docere potest Augustinus in hujus ipsius præcepti expositione. Verba in rem nostram hæc sunt (1): *Quod ait, ideoque necessitate subditi estote, ad hoc valet, ut intelligamus, quia necesse est propter hanc vitam subditos nos esse oportere, non resistentes si quid illi auferre voluerint, in quod sibi potestas data est, de temporalibus rebus; quæ quoniam transeunt, ideo et ista subjectio non in bonis quasi permansuris, sed in necessariis huic tempori constituenda est. Tamen quoniam dixit, necessitate subditi estote; ne quis non integro animo et pura dilectione subditus fieret hujusmodi potestatibus, addicit dicens, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: id est, non solum ad iram evadendam, quod potest etiam simulate fieri, sed ut in tua conscientia certus sis illius dilectione te facere, cui subditus fueris jussu Domini tui.*

SCHOL. Hoc præ aliis dictum est iis, qui tantopere legibus mere pœnalibus favent, ad quod genus permulti omnes pene politicas Regum ordinationes referunt: quæ doctrina qua ratione cum salute rerum publicarum conciliari possit, ego, dicam ingenue, non intelligo.

§. CIII.

Ecclesia bona temporalia possidet humano, non divino jure.

Quod de personis dictum est (§. CI), idem de bonis Ecclesiæ temporalibus perinde valet. Neque enim bonorum istorum alia ad rempublicam ratio putanda est

(1) In exposit. quarumdam rop. ex epist. ad Rom. prop. 74.

quam ceterorum, quæ ab aliis civibus possidentur. Inepete quidem Marsilius Patavinus temporalia bona possideri ab Ecclesia ejusque ministris divino esse juri adversum adseverabat (1): ipsum tamen divinum jus prædia illis possessionesque addixit nusquam. Unde S. Augustinus non divino illa, sed humano, id est, jure Imperatorum possideri adversus Donatistas disputat. Quo jure, inquit (2), defendis villas Ecclesiæ? Divino, an humano? Respondeant: divinum jus in scripturis habemus, humanum in legibus Regum. Unde quisque possidet, quod possidet? nonne jure humano? Nam jure divino Domini est terra, et plenitudo ejus::: Noli dicere, quid mihi et Regi? Quid tibi ergo et possessioni? per jura Regum possidentur possessiones. Ob eam causam S. Avitus Viennensis Episcopus ajebat Regi suo (3): *Quidquid habet ecclesiola mea, immo omnes ecclesiæ nostræ, vestrum est. Quam ingenuam ac liberam professionem vocat doctissimus Sirmondus, Principibus accepta ferri bona Ecclesiæ, quæ vel donarunt ipsi, vel, ut donare liceret, concesserunt. Quo loco refellere eam possumus opinionem, quæ bona in Ecclesiam pie collata ita ejus effici propria, divinoque judicio subjici statuit, ut nullum Reipublicæ jus relinquat, quod in aliis civium bonis obtinet. Etsi enim non negem ego, quin bona hæc quadam ratione ipsi Deo oblata censerentur, quod Patres sæpe, quod diplomata loquuntur, improbante licet audacter Stryckio (4); abuti tamen veterum auctoritate certum est, qui Dei illud qualecumque dominium ita interpretantur, ut impium esse putent in ejus velle communionem venire supremos Principes, ut verissime docet Card. de Cusa (5): Nullus, inquit, sive ecclesiasticus, sive sæcularis se jure poterit excusare. Omnium*

(1) Natalis Alexander sæc. XIV. cap. 3. art. 13.

(2) Tract. 6. in Joann. n. 25. (3) Epist. 39.

(4) Dissert. de sæcular. cap. 7. §. 23.

(5) Lochstein part. 1. cap. 2. §. 2.

enim bonorum temporalium regimen ad publicam commoditatem prius debet ordinari. Unde Hugo noster scribit, ipsas possessiones numquam à regia potestate posse elongari, quoniam si ratio postularerit et necessitas, et illis ipsa potestas debeat patrocinium, et illæ ipsæ possessiones debeant in necessitate obsequium. Sicut enim regalis potestas patrocinium, quod dat alteri, non potest non dare: sic ipsa possessio ab ecclesiasticis personis obtenta, obsequium, quod regie potestati pro patrocinio debetur, jure negare non potest. *Lib. 3. de conc. cathol. cap. 39.*

SCHOL. Ex hoc fundamento complura summorum imperantium jura, quæ in bonis ecclesiarum temporalibus et olim exercuerunt, et nunc quoque exercere possunt, planissima consecutione ducuntur. Hinc enim ex. gr. modum in acquirendis bonis Ecclesiæ ceterisque religiosis cœtibus præscribunt. Conf. Nebergers *tractatus de cœnobiorum redditibus*. Hinc administrationi bonorum ecclesiasticorum invigilant, rationes exigunt, dissipationi alienationibusque legibus præcavent. Le Bret. *Promptuarium pag. 3.* Hinc denique onera iis sine suo consensu imponi minime ferunt. De Marca *lib. 6. cap. 12. §. 7. 12. 13.* Lites et controversias de his ortas suæ jurisdictioni vindicant. Espeñ *part. 3. tit. 1. cap. 4.* Aliaque non pauca, quæ suis singula locis indicabimus ex legibus Patriæ nostræ illustraturi.

§. CIV.

Ac proinde secluso privilegio contributioni obnoxia sunt.

Ex hoc genere obsequii Regibus præstandi locum haud postremum obtinet *contributio* ad communem patriæ securitatem seu firmandam seu propugnandam necessaria, cujus officii necessitatem ipsa per se recta docet ratio: *Christus* autem non modo verbis præci-

piens dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, et quæ sunt Dei, Deo (1), sed et facto ipso probavit, census solvens, etsi nihil ipse possideret. Si census Dei Filius solvit, ait S. Ambrosius (2), quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum? Et ille census solvit, qui nihil possidebat, tu autem, qui sæculi sequeris lucrum, cur sæculi obsequium non recognoscas? Cur te supra sæculum quadam animi arrogantia feres, quum sæculo sis misera cupiditate subjectus? Et infra (3): Si Christus non habuit imaginem Cæsaris, cur dedit census? Non de suo dedit, sed reddidit mundo, quod erat mundi. Et tu si vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere, quæ mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis nihil Regi debere terreno, relinque omnia tuæ, et sequere Christum. Ab hac lege bona ecclesiarum non eximit S. Ambrosius: Si tributum Imperator petit, inquit in oratione ad Auxentium, non negamus: agri Ecclesiæ solvunt tributum. In quo consentientem habet Urbanum P. apud Gratianum (4). Quod in ore piscis invenitur, pro Petro et Domino dari jubetur; quia de exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est, pro pace et quiete, qua nos tueri ac defensare debent, Imperatoribus persolvendum est. Sanctum quoque Bernardum in epistola ad Ducem Lotharingiæ ita scribentem (5): Non renuimus Domini nostri sequi exemplum, qui pro se non dedignatus est solvere census; parati et nos libenter quæ sunt Cæsaris Cæsari reddere, et vectigal cui vectigal, et tributum cui tributum: docente Paulo: Ideo enim et tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum,

(1) Luc. XX. 25.

(2) Lib. 4. in Luc. n. 73.

(3) Lib. 9. n. 35.

(4) Caus. 23. quæst. 8. can. 22.

(5) Epist. 119.

tributum; cui vectigal, vectigal (1). Ad quem locum respiciens S. Augustinus in libro de catechizandis rudibus: *Dicit apostolica doctrina, ait, ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: et ut reddantur omnibus omnia; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; et cetera, quæ salvo Dei nostri cultu constitutionis humanæ Principibus reddimus, quando et ipse Dominus, ut nobis hujus sanæ doctrinæ præberet exemplum :: tributum solvere non dedignatus est.*

SCHOL. In hac tanta sanctorum Patrum consensione quis non miretur ingenium hominum, quibus nihil est tam perspicue, nihil tam candide à veteri traditum Ecclesia, quod in controversiam non adducant, quoties novis scholæ placitis adversum est? Specimen egregii acuminis non contemnendum in hoc ipso argumento dedit Anselm. Molitor in tractatione theologica de ecclesiastica potestate in Ecclesia bona, in qua tot sunt inanes viri argutiæ, tot subtilitates ad rem nihil facientes, quibus prolata à Lochstenio SS. Patrum pro jure Rêgum testimonia eludere conatus est, ut verear, ea omnia qui vacuo præjudicii animo legerit, ne convenire in hunc virum dicat illa Sancti Hieronymi: *Dum amorem contradicendi sequeris, à quæstionum lineis excidisti, more quorundam loquacium potius quam fæcundorum, qui quum disputare nesciant, litigare tamen non desinunt.*

§. CV.

Privilegium hoc humani est et civilis juris.

Ajo: *secluso privilegio*, quo tam personæ quam res ecclesiasticæ in his, quæ civilem earum statum respiciunt, Principum Christianorum munificentia gaudent. Neque enim profecto immunitas hæc divino è jure re-

(1) *Ad Rom. XIII. 6.*

peti potest, in quo adeo nullum ejus vestigium apparet, ut contra dissertissima exstent præcepta, quæ Christianos ex æquo omnes sublimioribus potestatibus subjiciunt. (§. CI.) Quod ipsum fatentur ingenue non hiantum, qui ætati nostræ propiores sunt tam Jurisconsulti quam Theologi (1), verum superiores etiam scholastici post D. Thomam plerique omnes conceptis verbis docuerunt. Non magis prima ejus initia Pontificum conciliorumve decretis ferri possunt in acceptis, quod adfirmare nonnullis venit in mentem causæ, opinor, studio magis quam veri exquirendi. Nam quo jure id factum ab Ecclesia probari potest, ut civium partem nobiliorem, bonaque eorundem imperio civili divina lege subjecta Principibus eriperet non consentientibus? Amabo te, potestne Rex quisquam Christianus constitutis Reipublicæ suæ ministris impertiri privilegium, quo hos in spiritualibus Episcoporum potestati minime fore deinceps obnoxios pronuntiet? An illi vero temporalium rerum solida administratio atque independens minus à Deo commissa est, quam spiritualium Episcopis à Christo? Dicamus igitur quod res est candide, immunitatem ecclesiasticam seu personis à foro et jurisdictione, seu rebus à tributorum onere concessam, gratiam esse Christianorum Principum; ratione quidem, ut tum erant mores, nixam probabili, sed tamen gratiam, quam nos decet, non ex jure canonico metiri, cujus in his rebus nulla vis esse potest, nisi quam receptio illi, aut usus conciliavit (§. XLIX.); nec ex antiquis Imperatorum constitutionibus, qui nullas nobis scribere leges poterant; sed ex legibus ejusque regni propriis: in quibus si quid est ambigui, si quid obscuri, non ipsa sibi jus dicat Ecclesia, quod inani scholasticorum dictione continetur; sed ab eo est petenda interpretatio, penes quem imperii majestas residet.

SCHOL. Ecclesiasticæ immunitatis totius origo ex le-

(1) *Schmidt. Instit. jur. eccles. tom. I. §. 395. (1)*

gibus Constantini M. petenda est, cujus pietatem imitati deinceps et Cæsares et Reges eandem vel augebant vel restringebant, prout vel temporum vel locorum ratio exigere visa est: quod ex Thomassino *part. 3. lib. 1. cap. 33. seqq.* et Binghamo *origin. e ccles. lib. 5. cap. 2. §. 5. seqq.* constat. Quando autem hoc ipsum, inquit Rabardæus, *per leges et rescripta Christianorum Imperatorum, Regum et summorum Principum indultum est, fidentius summi Pontifices suis litteris et decretis illud diligenter observandum constituerunt: quo sensu debemus interpretari plures canones Sylvestri, Pelagii, Gregorii, Gelasii, Leonis, Bonifacii et aliorum Pontificum, tum etiam decreta antiquorum conciliorum, quæ Gratianus refert. Quod minus acute, meo iudicio, considerarunt illi Doctores, qui ex his absolute probant, jure pontificio simpliciter absque permissu vel consensu Regum et Principum sæcularium hanc libertatem à foro et iudicio sæcularium magistratum clericis datam et stabilitam fuisse. Optat. Gall. sect. 2. §. 3. pag. 21.*

§. CVI.

Unde Principum supremæ potestati nihil præjudicat.

Quod autem exemptas à jurisdictione civili personas ecclesiasticas dicimus, id supremæ Regum potestati nihil detrahit. Apposite *Barclajus in tractatu de potestate Papæ (1): Principes fideles, ait, exemerunt quidem privilegiis suis clericos à potestate magistratum inferiorum, sed non exemerunt à potestate sua. Nusquam enim memoriæ proditum est ab ullo scriptore, Principes, qui istis clericis privilegiis donarunt, ita eos à se liberos dimisisse, ut sibi amplius non subessent. Im-*

(1) *Cap. 35. §. 2.*

*mo nec potuerunt Principes, nec adhuc possunt, clericos in regnis suis constitutos ea libertate donare, ne ipsorum potestati temporali subsint, neque delinquentes ab iis judicari et puniri possint, nisi eadem opera se principatu abdicent. Atque hæc insignis hallucinatio est multorum, qui juris publici destituti peritia, hæc personarum ecclesiasticarum privilegia ita interpretantur, ut iis ipsam Regum supremam potestatem circumscribi existiment, quo fiat, ut nefas sit vel his ipsis moliri quidquam adversus hanc, ut ajunt, jam dudum præscriptam libertatem. Neque esse, quod metuamus rebus publicis, *Bellarminus* censet. Cur ita? quia inquit, quos Rex non potest, coërcebunt Episcopi delinquentes clericos. Itane vero? *Quid hoc est aliud, verissime Barclajus* in vindiciis ajebat (1), *quam Episcopos ad regale culmen attollere? Cur enim, Bellarmine, instituti sunt Reges, aut quo illorum est potestas? nonne ut Republicæ moderentur, paci salutique civium provideant, pœnis et præmiis divisim in merentes? Atqui jam id muneris eripis Regibus, aut saltem cum Episcopis vis esse commune. Demus, si placet, tantisper Episcopis hanc, quam volunt, clericos coërcenti potestatem; auferamus omnem Regibus: quam tutam censetis futuram regnorum securitatem, si solo decretalium jure eam nobis licebit defendere? Judices sæculares sub excommunicationis pœna cognitione atrocissimorum etiam criminum interdicit: ecclesiasticis vero, si *Milleroto* credi potest, non concedit umquam clericos brachio tradere sæculari, præterquam trium delictorum reos, inter quos nec *sicarii* sunt, nec *incendiarii*, nec *incestuosi*, nec *parricide*, nec *perduelles*, nec *proditores patriæ*, nec *Regicide*. Hæc igitur, atque alia his similia criminum monstra, quæ temporum infelicitas nonnumquam etiam in clero detegit, quomodo punientur? An in his quoque exemptioni locum dabimus, licet cum perniciæ rerum publicarum?**

(1) *Cap. 35. §. 2.*

Non putem: *Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac et habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Ita Paulus.

§. CVII.

Nec eminenti Reipublicæ in res Ecclesiasticorum dominio.

Similiter bona ecclesiarum temporalia, tametsi Principum beneficio immunia, eminenti Reipublicæ dominio subjecta esse minime desinunt (§. CIII.). Quare nihil immunitas hæc impedire potest, quo minus in publica totius populi necessitate exigere reges ex his quoque bonis subsidia jure valeant ad patriam ab interitu vindicandam. Anne inconsulto etiam, inquires, Romano Pontifice? Immo vero inconsulto etiam. Equidem non ignoro, quibus demum conditionibus *Innocentius P. III.* (1) subsidii istius contributionem fieri passus sit. Sed jam nuper præmonebam, nullam in hac quæstione decretalibus Pontificum vim ex se posse tribui (§. CV.); minime vero omnium illis, quæ supremæ Regum auctoritati derogant (§. XXXVIII.): in quarum numerum hanc, de qua agimus, *Innocentii* decretalem, retulit, nec immerito, *Lochstenius*. Eam enim etsi ego ita esse comparatam pulchre intelligam, ut consentanea sit prorsus omnimodæ, quam videtur affectasse clericorum à potestate civili independentiæ; cum veris tamen civilis juris principiis, quomodo illa possit cohærere, non adsequor. Nam quæ est, quæso, hæc justitia civilis, quæ tum demum necessitati omnibus communi clericos vult consulere, quum bona laicorum jam exhausta sunt

(1) *Cap. 7. de imm.*

penitus? Judicandi de reipublicæ necessitate potestas quomodo, salva majestate civili, Episcopo soli et clero tribui potest? An è bonis suæ potestati subjectis non licebit patriæ, quum extrema necessitas urget, partem reddituum decerpere sine summi Pontificis consensu? Ita *Bonifacio P. VIII.* æquum olim visum est in constitutione sexto decretalium libro inserta (1). Sed quam ipse deinde haud ita multo post, *Philippi* victus constantia, et justis regni Franciæ querelis fatigatus, commoda interpretatione ita temperavit, ut agnosceret in Regibus potestatem à suo nutu minime pendentem.

SCHOL. Conf. Raynaldum *in annal. ad ann. 1297. n. 50.* Natalem Alexandrum *in Hist. eccles. sæc. XIII. diss. 9. art. 1.* et Carolum Fevret *de abusu lib. 1. cap. 8.* Pontificis consensum qui requirunt, ex iis video nonnullos ea niti ratione, quod bonorum ecclesiasticorum suprema cura, proque iis rite administrandis sollicitudo eidem incumbat. Vid. Auctor *vindic. jur. stat. eccles. circa temporalia part. 1. cap. 2. §. 4.* Nam quum *ex vi primatus* (ita ratiocinatur *Schmidtus loc. cit. §. 298.*) *necessaria fluat sollicitudo et cura omnium in orbe ecclesiarum; hæc vero profecto locum habeat in iis omnibus, per quæ status ecclesiarum deterior quacunque ratione fieri queat: negari non posse videtur Pontifici vi primatus curam quoque supremam horum bonorum incumbere.* Quod viri clarissimi ratiocinium quam recte se habeat, nunc non disputo: id ajo, quantacunque sit suprema istius vis inspectionis et curæ, eam tamen ita esse temperandam, ut cum summo et independente Regum jure conciliari possit, cui ut jam dictum est aliquoties, Christus instituendo Ecclesiam ordinandoque nihil penitus detractum voluit.

(1) *Cap. 3. de immunit.*

§. CVIII.

Espenio iudice.

Ex his evidenter sequitur, verba sunt Espenii (1), exemptionem clericorum à jurisdictione laica: non è jure naturali vel divino, neque ex ecclesiasticis decretis, sed ex solis Imperatorum et Principum legibus profluere, et de ea statuendum ac judicandum. Unde nec de hac exemptione valet auctoritas decretalium, sive jus commune canonicum, nisi in quantum illud in hoc articulo est receptum expresso vel tacito Principum consensu: Si igitur Principes intelligant exemptionem, qua hactenus gavisi sunt clerici, politico et recto Reipublicæ regimini plurimum officere: quidni possint, et subinde teneantur pro temporum et rerum circumstantiis hæc exemptionum privilegia sua auctoritate limitare atque circumscribere? exemplo veterum Imperatorum ac Regum, quorum receptæ olim constitutiones ac piissimo cuique Antistiti probatæ leges hunc nobis certe præstare usum possunt, ut judicare ex iis liceat, quæ quantumve Regibus, salva dignitate sacerdotii, circa politiam ecclesiasticam potestas competat.

SCHOL. Quod de limitanda cleri immunitate post Espenium monui, id ne quis vertat in calumniam, de immunitate ecclesiastica intelligi volo, non de illa qua clerus Hungariæ æqua cum nobilibus conditione fruatur, de qua hoc mihi loco sermo non est. Ceterum de toto hoc immunitatis argumento unus instar omnium esse potest Lochsteinius in egregio prorsus opere Germanice scripto, cui titulus: *Fundamenta pro et contra ecclesiasticam immunitatem in re temporali*. Adde ejusdem *Responsa ad interrogationes circa ecclesiasticam immunitatem*.

(1) *Jur. eccles. univ. part. 3. tit. 3. cap. 2. §. 4. 12.*

CAPUT II.

DE POTESTATE PRINCIPUM

CHRISTIANORUM CIRCA SACRA GENERATIM.

§. CIX.

Hoc jus quidam prorsus negant.

De potestate Principum Christianorum circa sacra varia est ac multiplex disceptatio. Quorundam adeo delicata religio est, ut vel ipsum nomen ferant iniquius: jus circa sacra confundentes cum potestate ecclesiastica. Quo errore evenit, ut quidquid ejus juris Principibus vindicat intelligentior pars interpretum, id totum de potestate Ecclesiæ detrahi, et credant ipsi, et aliis conentur omni studio persuadere. Quod quidem omnino falsum est: differunt enim hæc duo toto genere. Quæ qui non discernunt, parum abest, quin de violata *Christi* religione arguant Principes etiam pietate minime simulata commendabiles, qui, quod ignorare non possent, quantum ad vitæ etiam civilis stabilem felicitatem intersit, pios esse subditos ac virtutis religionisque non fucata studiosos cultores, hanc imperatorii muneris sui curam præcipuam reputabant, nihil prætermittere, quod ad veræ pietatis cultum inter suos promovendum removendaque virtutis impedimenta pertinere posset. Hæc mens *Constantini M.* fuit, cujus exstat epistola apud *Eusebium* (1) post Nicænam synodum scripta, qua egregium promovendæ religionis studium testatus est: hæc *Theodosii*, hæc *Marciani*, hæc *Justiniani*, cujus permultæ supersunt in codice ac novellis de sacris rebus editæ constitutiones. Idemque porro semper piorum Regum in colenda tuendaque religione studium fuit: quæ

(1) *Lib. 3. de vita Const, cap. 17. seqq.*